Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35138
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



Manipulus curatorum

personam filij dei. quaz significat coniunctio corporum. Matrimonium primo et secundo modis consideratuz non est sacramentum, put hic loquimur de matrimonij sacramento. Tercio modo consideratum est matrimonium sacramentuz et sic fuit institutum a xpo quando in vtero virginis voluit nostram naturam diuine nature vnire in vnitatem sui suppositi seu psone. quam vnionem significat matrimonium. Sicut enim in actu matrimoniali vir et vxor sunt duo in carne vna. sic due nature. s. humana et diuina sunt in psona vna. videlicet in persona filij. Et istud sufficiat de institutione sacramentorum.

De efficacia et virtute sacramentorum in generali

Capl'm scdm.

De efficacia et virtute sacramentorum sciendum est quod virtus sacramentorum in generali. quia postea dicet de virtute cuiuslibet in speciali consistit in duobus. s. in auferendo culpam et conferendo gratiam. Omne enim sacramentum noue legis nisi sit obex. i. impedimentum ex parte recipientis aufert culpam si inuenit eam. et cofert vel auget gratiam: Et per hoc differunt sacramenta noue legis a sacramentis antiqui legis. quia sacramenta veteris legis sacramento circumcisionis excepto quantum erat ex parte operis operati nullam virtutem habebant quantum ad ablutionem culpe et collationem gratie: sed totam virtutem et efficaciam hebebant ex parte operis operantis. Sacramenta autem noue legis non solum habent efficaciam ex parte operis operati. imo etiam ex parte operis operantis. Opus operans vocatur deuotio suscipientis sacramentum. Opus operatum vocatur opus exercitatum circa sacramenta. Sic opus operatum in baptismo est aspersio vel immersio aque et prolatio verborum. Et quod sacramenta noue legis quantum est ex parte operis operantis conferunt gratiam et sunt cause gratie. patet per diffinitionem sacramenti positam a magistro sententiarum in. iiij. li. di. i. quae talis est: Sacramentum est inuisibilis gratie visibilis forma. vt eius similitudinem gerat et causam existat. Utrum autem sit gratie causa sine qua non aut propter quam indigeret studio maioris considerationis quam pertineat ad presens opusculum. et ideo relinquo. Est et alia virtus sacramentorum noue legis. quia quedam eorum imprimunt caracterem in suscipientibus ea: sicut baptismus. confirmatio. et ordo: Et est caracter quedam potestas spiritualis per quam suscipiens sacramentum potest aliquid facere vel recipere. quod non poterat ante. Sicut baptisatus potest recipere alia sacramenta ecclesie. quod non potest facere non baptisatus. et ordinatus potest exercere officium sui ordinis quod non potest facere non ordinatus. et confirmatus tenetur audacter